Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 631

Quelle:
Copyright:

raginem potius esse aliorum Scriptorum latinorum discs e *Fabricii Bibl. med. Lat.* T. V. *h. v.*

VIII. *fol.* 128. *Stella Clericorum.* Indicata saepe, ut Index docet.

IX. *fol.* 150. p. 2. *Tractatus de Confessione*, qui incipit: *Quoniam circa confessionem sunt pericula animarum — Ideo ego Innocencius secundo nomine episcopus — compilavi* &c. Articulis XVI. constat, quorum primus: *Quo tempore incepit confessio.* Methodus scholastica. Autor, mihi saltem, ignotus.

CCIII.

VI. B. 19 72 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 142. f. nitide scriptus et rubricatus complectitur S. *Hilarii Pictavorum Antistitis*, qui Sec. IV. Latinorum primus calamum in Arianos strinxit, *Opera*, et quidem I. *Libros XII. de Trinitate.* Praecedit *Hilarii* elogium e variis Epistolarum *Hieronymi* locis contextum hoc initio: *Quantus inter aeccleſiaſticos Scriptores Catholicos et apoſtolicos doctores Hylarius pictauienſis eccleſie preſul effulſit. diuine legis ſingularis interpres Hieronimus memorię fidelium commendare multipliciter ſtuduit* &c. Sequitur *Carmen*, Venant. Fortunati quod, cum in editis Exemplaribus non inveniam, huc transtuli, insertis conjecturis, mutatoque distichorum ordine, qui in *Cod.* perturbatus adparet.

Hylarium queris quis ſit cognoſcere lector.
Allobroges referunt. pictauos (Pictăuis, Pictăuio?) *genitum.*
Inprobus ut uidit plebes quod ſcinderet error.
Grecorum uiros (uirus) *protulit in medium.*
Vipereo promunt ſemper qui ex corde uenena.
Filius ut dicant. quia eſt creatura dei.
Quis (queis) *magis auxilium preſtat ſapiencia mundi.*
De ingenito genitum. quę negat eſſe deum.
Quam male complexus cupiens calcare prophetas.
Arrius infelix. cum retinet crepuit.
Egregius doctor. ueterum monimenta ſecutus.
Quem ſtephanus uidit. comprobat eſſe deum.
In patre qui (omni) *potens deus eſt cognoſcere natum*
Diuinum tantum. uocibus inſinuat.
Victus amore dei. contempto principe mundi.
Intemerata fides. pertulit exilium.
Perpetuum lumen criſtum dominumque deumque
Biſſenis populos. edocet eſſe libris.

Hoc